



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

De duobus senibus, qui mira patientia erga latrones vsi sunt. Capvt CCXII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

Nam ecce quæ attuli pro refectione tua. Faciam autem omnia, vt te de carcere liberem. Profectus quæ rogauit pro eo quosdam de principibus. Quibus cum nota esset viri virtus, mittentes eduxerunt fratrem illum de custodia.

De duobus senibus, qui mira patientia erga latrones vsi sunt.

C A P V T C C X I I .

DICEBAT quidam senum: Accessit ad nos senex magnæ virtutis. Legentibusque nobis patrum vitas, atque sententias (Delectabatur enim senex ille ea potissimum lectione, ita vt esset illi semper in ore, & in corde, vnde & ex ea maximum virtutis fructum acquisiuit) ad cum senem legendo ventum est, ad quem ingressi latrones dixerunt: Omnia, quæ habes in cella tua, tollere venimus. Ipso verò dicente: Quæcunq; videntur vobis, filij, tollite: tulerunt omnia, & abierunt. Et cum solum marsupium, quod pendebat, reliquissent, senex, illo accepto, post eos sequebatur clamans, ac dicens: Accipite, filij, à me, quod tollere oblitus estis de cella nostra. Quamobrem admirantes illi senis tolerantiam, omnia suis locis in cellulam reuersi restituerunt dicentes ad inuicem: Verè hic homo Dei est. Cum igitur hoc legeremus, ait ad me senex: Hoc exemplum mihi multum profuit, Abba. Ad quem ego: Quomodo pater? Et ait mihi: Cum aliquando morarer prope loca Iordanis, legi hoc, & mirabar hunc senem, & dicebam: Domine Deus, qui me ad hunc habitum vocare dignatus es, fac me dignum huius vestigia sequi. Et cum

cum arderem summo affectu imitandi eum, post biduum superuenerunt latrones, & pulsantibus illis ianuam, agnoui, quia latrones essent, dixique in me ipso: Deo gratias. Tempus est, ut ostendam fructum desiderij mei. Aperiens autem ianuam, hilariter suscepi eos, & accendi lucernam, & coepi eis omnia ostendere, dicens ad eos: Nolite turbari. Confido in Domino, quia nihil celabo vos. Aiunt autem mihi: Habes aurum? Et dixi eis: Etiam habeo tria numismata, posuique illa coram eis. Qui accipientes ea abierunt in pace. His ego auditis, iocans dixi seni: Nunquid isti ad te reuersi sunt, quemadmodum illi ad senem? Qui statim dixit mihi: Non. Auertat hoc Deus. Neque enim voluisssem ego, ut reuertarent.

Cur signa et prodigia diuinitus in sancta ecclesia fiant.

CAPVT CCXIII.

DICEBAT senex quidam: Signa, & prodigia diuinitus vsque hodie in Ecclesia fiunt propter eas, quæ pullularunt, & quotidie pullulant, impias hæreses, & maxime propter Acephali Seueri, & cæterorum perniciofa schismata, ad munimen, ac firmitatem infirmarum animarum, atque ad illorum ipsorum, si ita voluerint, conuersionem. Propterea igitur & à sanctis patribus, & à beatissimis martyribus ab initio fidei vsque hodie fiunt mirabilia in sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia.

¹ Propter hæreses fiunt miracula in Dei Ecclesia.

² Nota sanctos patres, & martyres facere miracula.